SCHEDIASMA DE VARIOLIS ADULTORUM.

Rationem periculi earundem apud adultos, & methodum qua illud ſecurius declinari poſſit exponens.

Auctore
CONRADO BURCARDO VOGTHER,
Med. D. Sereniſſimæ Princip. Electoral. Brunſwico-Luneburg. Conſil. & Archiatro & Reip. Ulmenſ. Phyſ. Ordin.

ULMÆ,
Apud Danielem Bartholomæ,
MDCCXII.



Conſpectus.



Ariolæ omnibus hominibus expectandæ ſunt. Ratio hujus rei incerta eſt. Thema diſſertationis: Cur Variolæ adultis periculoſæ exiſtant, & quomodo hoc periculum averti queat? Adultorum definitio. Variolarum deſcriptio. Malignitas Variolarum in adultis non eſt eſſentialis & propria, ſed accidentalis & aliena, nempe non quidem Ætati abſolute ſed reſpective certæ illius proprietati ſeu conditioni adſcribenda. Variolas ætati abſolute & neceſſario haud exitiales eſſe probatur â poſteriori, exemplis. Hiſtoria Variolarum apud adultos. 1. Schema quod plethoricum ſive ſanguineum nominare poſſis: 2. quod cholerici ſ. bilioſi titulum mereretur: 3. quod proprie & univocè malignum eſt. Nova & Variolis regularibus plane accidentalia ſymptomata enarrantur; nova quidem partim toto genere, partim ſpecie, partim ſaltim gradu. Poſteriora ſunt æſtus, ſitis, anguſtia, capitis dolor, deliria, majora; ſummâ circulatio ſanguinis ejusque conſectaria auctiora præter proportionem: media, hæmorrhagiæ criticæ vel quaſi, vel tantum molimina hæmorrhagica, hæmorrhagiarum ſcil. vel cauſæ efficientes immediatæ, vel conſectaria impeditarum fruſtratarumq́; præcipue puſtularum inconſtantia, relapſus, pendentia â ſpeciali ſanguinis directi-

one ad caput; porro ſudores profuſi: prima, Typus Febris peregrinus, non ſcil. remittens, ſed continens & inordinatus. Symptomata hæc comparantur cum Variolarum legitimarum hiſtoria (1.) quoad typum febrilem, (2.) quoad excretiones ſpeciales, (3.) quoad cauſas illarum inſtrumentales, (4.) quoad conſequentias earundem. Similitudo Typi hujus cum Febri ſanguinea, continente, & veroſimilitudo Typi complicati ſive compoſiti febrilis acuti. Febris ſynochos eſt quidem rara, non tamen prorſus nulla, & ab ephemera diſtincta. Quod exemplis declaratur. Frequentior cum aliis complicata, ob qualitatem ſanguinis apud noſtrates ſpiſſiorem. Schema febris pure ſanguineæ cum ſignis pathognomonicis, cauſa, effectu, nempe evacuatione ſanguinis vel immediata hæmorrhagica vel mediata conſumtoria ſudorifica. Signa hæmorrhagiæ, ſudoris. Ratio formalis ſynochæ, Variolarum. Veroſimilitudo concurſus ſynochæ cum Variolis (1.) à ſubjecto, (2.) typo, (3.) excretionibus ſpecificis, (4.) conſectariis harum rerum. Comparatio rationis formalis utriusq; morbi & diverſitas utriusque, (1.) ratione ſubjecti ſivè cauſæ materialis, (2.) formalis, (3.) inſtrumentalis, (4.) hujusq; ſpecialisſimæ methodi, (5.) menſuræ, (6.) excretionis ſpecificæ. Effectus hujus compoſitionis. Fundamentum periculi adultorum à variolis eſt complicatio Febrium oppoſiti Typi, varioloſæ ſcil. & ſanguineæ; cauſa mediata, ſanguinis abundantia ſivè ſimplex ſivè commota per occaſiones externas; non vero Malignitas materiæ, bene tamen Motus, ſeu error Naturæ patheticus. Pathologia ſchematis ſecundi ſeu complicatarum Variolarum cum Febri cholerica ſive καυσώδει ſive ἐρυσιπελατώδει. Reflexio ſuper tertium ſchema proprie malignarum, ob materiæ malignitatem. Ad objectionem cur puſiones plethorici non æque male habeant, reſpondetur. Therapia hujus mali. V. S. dis-

dissuadetur, sed non in totum, utplurimum tamen, quia non universaliter ac necessario sed accidentaliter & individualiter indicatur, imo à variolisqua variolis contraindicatur. Statuitur eam compensari posse methodo DIAPNOICA, perspirationem conservante. Hinc comendantur diapnoica, scordium, pimpinella, chacarilla, M. S. Emulsiones expulsivæ, absorbentia, potus calidi &c. &c. attendendo Temperamenta; dissuadetur abusus ▽. fumariæ; commendatur concursus Regiminis temperati. Ad symptomata vero, convulsionibus Liq. C. C. succ. ♃na, æstui ⊕. ut & diarrhoeis, sed non dilute, & in dosi refracta, ut & theriacalia ac externa tonica. Externe commendatur amuletum, nempe camphora. Faucibus Essentia pimpinellæ ac mucilagines; cicatricibus °°. ovor. camphoratum &c. &c.



Nter omnes morbos generi humano infensos nullum frequentiorem esse VARIOLIS cuivis innotescit. Adeo enim pestis hæc in omnes ætates, omnes sexus, omnes classes ac dignitates hominum sævit, ut inter mille vix decem occurrant, qui non vim & impetum illius sustinuerunt. Torsit hæc Variolarum frequentia ac fere fatalis cunctis mortalibus necessitas à complusculis annis pathologorum animos & plane diversas sententias ac opiniones extorsit; cum alii peculiari contagio, alii speciali aëris influxui, rursus alii sanguini materno hæreditariæque dispositioni hancinvadendi æque ac sustinendi promptitudinem adscripsere. Non vacat hunc in campum excurrere cum aliam præ manibus habeamus quæstionem, scil. cur Variolæ adultis hominibus contingentes, plerumque vel periculosæ vel prorsus exitiosæ ac deleteriæ existant, & quæ hoc periculum efficacius avertendi nobis spes aut modus sit? Hanc, cum nuper admodum inter amicos proponeretur, ore partim, partim dehinc scripto latius prosequi, &, quantum per tenues nostras vires licet, resolvere placuit. Suscepimus

itaque b. c. D. hunc laborem, prolixiore quidem ſermone digniſſimum, ſed nobis nonniſi breviſſimis, varias ob cauſas, abſolvendum. Quæ vero in ſequentibus de hac materia dicentur, dicta ſunto ſine ullius præjudicio, quem vel experientia vel ratio melius ſentire jubet.

Igitur cum materiam de Variolis adultorum pertractare quæſtionemque valde difficilem, cur adultis adeo pernicioſæ exiſtant, enodare ſuſceperim, placet quid per Variolas, quid per adultos intelligamus, breviſſimis deſignare. Horum, nempe adultorum, nomine nobis veniunt omnes homines pubertatem transgreſſi, à 14. anno vel circiter ad ſeram usque ſenectutem. Quid autem Variolæ ſint, neminem ſperamus fore laturum, cum fere nemo exiſtat, qui non ſævitiam illarum fuerit expertus. Sunt videlicet puſtulæ ope febris & accidentium, febrim comitantium, caloris, ſitis, inappetentiæ, vigiliarum &c. in ambitu corporis ordinario die 3. v. 4. effloreſcentes, ibique ad 11. vel 14. permanentes, maturantes, ac poſt varios dolores ac circumjectarum partium tumores exareſcentes evaneſcentesque; infantili ac puerili ætati familiares, neque tamen adultis parcentes, ſed ſiquidem ipſis nondum obvenerint, eos quavis ætatis periodo, præcipue tamen juvenili floridiore, affligentes, atque majore quidem periculo, quam ſi illos tenerioribus adhuc annis incurrerint. Frequens equidem eſt querimonia de Variolarum harum, adultis contingentium, malitia, quæ an Variolis propria ſit ac ex eſſentiali earundem indole profluat, operæ pretium eſt ut paulo ſolertius diſquiramus. Quamvis enim Variolas ipſas omni culpa abſolvere nolimus, fieri tamen poteſt, ut ſiniſterrimi ipſis imputati eventus potius ab alia cauſa, ipſis fortaſſis conjuncta aut cum ipſis in uno eodemque homine coexiſtente proficiſcantur. Etenim quod tale periculum non à propria Variolarum indole dependeat, ex eo clarum eſſe putamus, quod quantumvis Variolæ adultis valde exitioſæ pronuncientur, nihilominus haud deſit numerus ſatis conſpicuus adultiorum qui ab iisdem optime evaſerunt. Ut proprias experientias taceam, liceat mihi veritatem aſſertionis hujus exemplis magis illuſtribus mihique notis confirmare. Sic Variolas in Sereniſſimo Principe, glorioſiſſimæ memoriæ, D. GEORG. FRID. MARCHIONE BRANDENB. à Bavaro novennio abhinc ad Schmidmilas eheu! exſtincto, curavit B. D. D. LOELIUS Fautor noſter, dum viveret, integerrimus; quæ quidem cura tanto majore laude digna erat, cum Sereniſſimus ille Princeps primus fuerit, qui poſt. 3. aut 4. Sereniſſimos ejus

præ-

prædecessores, à Variolis deletos, à spurcissimo hoc morbo, Potentissimæ Domui Brandenburgicæ fatali credito, ope viri supra laudati sanus salvusque evasit. Pari fortuna usus est tribus abhinc lustris & quod excurrit, Serenissimus Princeps D. FRIDERICUS GULIELMUS MARCHIO BRANDENBURG. hodie clavum regminis gerens; qui Lutetiæ Parisiorum per illustrem D. GUNDELSHEIMERUM, tunc ibidem practicum, dein Clar. TOURNEFORTII in itinere magno orientali socium, nunc S. R. M. PRUSSICÆ Consiliarium Aulicum & Medicum primarium methodo nobis Germanis hactenus insueta, sed, quod ex ipsius Serenissimi ore habeo, felicissima, nempe per Vomitum, peculiari ratione, ab Excell. STAHL Prof. Hallensi celeberrimo dissertatione de Variolis exposita, sub decursu morbi ter repetitum, & morbo & periculo ereptus fuit. Quem eundem Serenissimum Principem biennio abhinc morbillis periculose decumbentem restituerunt unitis viribus Viri Excellentissimi atque Experientissimi D. D. J. MAURITIUS HOFFMANNUS, & D. D. CONR. CRAMERUS, Consiliarii ac Archiatri Onoldini celeberrimi, patroni mei colendissimi. Porro triennium est & quod excurrit, quod Serenissimus Celsissimusque PRINCEPS ELECTORALIS HANNOVERANUS, cum SERENISSIMA CONJUGE, DOMINA mea clementissima, uno eodemque temporis articulo Variolis decubuerint: Serenissimo tamen pari hoc sub auxiliis divinis partim, partim etiam medicis ab Excell. D. D. EBEL, Archiatro meritissimo, suppeditatis, optatum sanitatis portum iterum attingente, Deo sit laus & gloria! Quæ cum ita sint, patet Variolis periculum illud absolute adscribi non posse, quod adultis inferre creduntur, cum non pauci adultiorum cum illis in gratiam redire soleant. An igitur ætati imputanda venit hæc Variolis contingens pernicies? Neque vero illam directe in causa esse crediderim, cur Variolæ plerisque adultioribus male cedant; cum sub quavis ætatis periodo aliquos vim & sævitiam illarum eludere, alios vero earundem in prædam cedere experiamur. Interim non negandum est, vim earum deleteriam potius ab aliqua ætatis conditione aut qualitate, quam intrinseca Variolarum constitutione repetendam esse. Quamvis enim de pernici hac pernicie idem valeat ac de pestilentia, febribus maculosis aliisque malignis, quod uno anno præ altero, una anni tempestate præ altera, majores edat strages; non habet tamen ullum respectum ad ætatem, sed infantili, cum juvenili, virili aut senili communis existit, & in omnes homines cujuscunque sexus

aut ætatis ſint, niſi ab illa jam ſemel ſignati fuerint, indifferenter graſſatur. Ut vero tota res hæc in clariore luce collocetur, neceſſe eſt, ut mores, ordinem, progreſſum, uno verbo, *hiſtoriam* Variolarum adultis periculoſarum vel prorſus funeſtarum, qua fieri poteſt diligentia & exactitudine recenſeamus, ac an ordinariis, ſequiori ætati obvenientibus Variolis ſimiles ſint, an vero alio habitu incedant, ac peculiare legitimæque morbi naturæ inſolitum quid exhibeant, ſolertius diſpiciamus.

Quod ergo invaſionem attinet, fit illa poſt prægreſſam laſſitudinem ἑλκώδη & dolores dorſi, interdum cum horrore, adeo ut aliarum febrium acutarum more ἐπισημασίαν forment; medentesque ſub vultu ac ſpecie ſimplicis acutæ, vel continuæ fallant, ac ad medicinas vel calidiores vel oppoſitas refrigerantes, morbo huic perniciosiſſimas, cogant. Communius vero ſine horrore cum tanto ſtatim æſtu incipiunt, qui conſuetum alias in Variolis gradum maximopere ſuperat, doloreque capitis multo intenſiori, quam alias ſolet, ſtipatus eſt, maximamque ſitim, horrendam inquietudinem, vigilias perpetuas, anxietatem graviſſimam efficit, ſymptomata apud tenerioris ætatis homunciones vix reperiunda; tali intelligo gradu, quo apud vetuſtiores conſpiciuntur. Etenim tenendum omni modo, quod Varioloſa febris mitis ſit in ſuo genere lenisque, ac ſicubi fortior occurrat, à ſpeciali ſubjecti diſpoſitione, quæ ſpeciei Variolarum plane accidentalis eſt, exacerbari cenſenda ſit. Apud antiquiores vero aliam exhibet faciem, cum ſtatim â principio fortis ſit, & tali tenore talique gradu vegeto activoque ad finem vel morbi vel vitæ usque æqualiter pergat. Unde ſæpiſſime ſtatim ab initio deliria conjunguntur, vel apud magis phlegmaticos ſtupores & ἀναισθησίαι, ſopores, comata, ut perpetuo ἀναίσθητοι jaceant, quæſitique quid doleat, ſe non æque dolorem quam capitis gravitatem ac perturbationem ſentire, reſpondeant. Sub his omnibus pulſus eſt celer, frequens, neque parvus aut depreſſus, ut in Variolis, ſed magnus, plenus, interdum tamen inæqualis; Urina rutilans, ἐρυθρὰ, cruda vel prorſus λευκὴ aquea, tenuis, vel ad minimum ſpicea, imo prorſus naturali ſimilis. Habitus corporis, alias leniſſimo madore perfuſus ac perſpirabilis, hic ſicciſſimus ſqualidusque eſt, adeo ut facilius è pumice aquam, quam ex hac corporis ſuperficie guttulam extorquere poſſis. Aliquibus tamen larga ſudoris copia prorumpit, præcipue poſt 4. aut 7. diem, quæ tantum abeſt ut morbo utilitatem afferat, ut potius, annotante SYDENHAMO

de

de M. Ac. S. III. cap. II. &c. in culpa ſit, quod tumor, ad elevandas puſtulas adeo requiſitus & in interſtitiis earundem conſpicuus, ſubſideat, etiamſi maximus, & à concitata dolorificaque inflammatione productus fuerit. Inter hæc omnia puſtulæ vel præcociter die. 1. 2. vel ſerius 5. demum aut 6. confertim prorumpunt; prorumpunt inquam, non prorſus erumpunt, ſed vix ſummos apices exporrigunt, aut ſi effloruerint, mox iterum ſubſident, complanantur, deprimuntur, vacillant & ad interiora relabuntur: confluunt præterea & magis in latum expanduntur, quam in laudabilia faſtigia elevantur, nigramque non raro maculam nanciſcuntur. Quod cum fit, interſtitia inter illas alias intumeſcentia ſubſident, alias rubentia & colorem roſarum damaſcenarum exhibentia pallent. Hinc vero magna exoritur calamitas. Febris, quæ ſub regulari Variolarum decurſu deſinere vel ſaltim remittere ſolet, hic jugi gradu, jugique vehementia perennat, aut ſicubi tantisper remittere videtur, inſtabilia tamen hic, incerta ac inconſtantia ſunt omnia. Materia enim Varioloſa una cum ſanguine ſupremam corporis arcem, caput puto, petente, deliria cooriuntur ægris ac medentibus omnem ſpem convaleſcentiæ adimentia; cum illi debitam ac maximopere neceſſariam corporis continentiam non ſervent, crebrisque corporis motitationibus, fibrarumque muſcularium ſtricturis tranquillæ materiæ peccantis ad exteriora propulſioni obſiſtant; hi vero triſtibus oculis ſpectare neceſſe habent, quomodo apud alios auditus obturbationes, ſonitus, ſtrepitus, oculorum rubores ac fulgores (quales in fœmina 33. annorum cernere licuit) ſplendores, obfuſcationes, caligines cum καταψύξεσι extremorum, præcipue pedum, gravibus anguſtiis & anxietatibus præcordiorum, reſpiratione difficili, frequenti, hæmorrhagiæ vel nimiæ & vix compeſcibiles, vel parciores, στάξιες καὶ ἐπιστάξιες, HIPPOCRATI adeo exitioſæ, quin phrenitides, anginæ, aphthæ, apud alios vero affectus ſoporoſi cooriantur; ultimo vero vel apoplexia vel ſuffocatio, imprimis ſuppreſſa ſalivatione illa, adultis præ infantibus familiariore, apud nos tamen quam apud Anglos infrequentiore, vel etiam, poſt prægreſſos tremores & pavores, convulſiones ſcenam hanc ſimulque ultima lumina claudant. Hic vero tragicus rerum exitus hæcque φαινόμενα familiarius occurrunt apud adultos floridos, habitu corporis Spongioſo, molli laxoque, aut temperamento, quod vocant, ſanguineo vel puro, vel cum aliis præcipue phlegmatico remixto &

ubivis prædominante, præditos, animi indolem vegetiorem, hilarem, expeditam, ſed trepidam, meticuloſam, imbecillem exhibentes, cæterum plethoricos, hoc eſt, ſanguinem vel nimium vel per acres corporis agitationes, venationem, ſaltationem aut ſimilia exercitia, quin per interius in corpus aſſumta, aromata, vina calidiora in copia hauſta &c. commotum posſidentes. Tales enim talisque conſtitutionis homines in Variolis plurimo periculo eſſe expoſitos, vel plebi hodienum notiſſimum exiſtit. Solent quidem interdum adhuc aliam faciem induere, cum vel ſub principio vel etiam decurſu, vomitus irreſiſtibiles, imo nigros, excitant, alvum commovent, & ad exitialem, præcipue ſub eruptionis tempus, fluxum, cum maximis torminibus conjunctum, diſponunt, vel plane choleram efficiunt, qua graveolentia, bilioſa, imo nigricantia ſurſum deorſum rejiciuntur, refrigerato interim externo corporis habitu, & ſubſidente tumore in pallida corporis peripheria, puſtulisque recedentibus, ſicubi eruperint, vel vix erumpentibus illis, & ſumma cacumina exporrigentibus, cum virium lapſu, deliquiis &c. Sed cum hoc Schema non adeo frequens ſit ac prius explicatum, præterea etiam magis cauſam externam agnoſcat, non vero à patientis propria interna conſtitutione dependeat, tantiſper potiores partes antecedenti claſſi tribuendas eſſe arbitramur. Sicut revera potior, nempe frequentior, eſt adhuc alio ſchemate: dum ſcilicet patientes ſtatim ab initio ſummam virium debilitatem ac fatigationem, ſine ulla manifeſta cauſa, incurrunt, cum pulſu celeri, frequenti, parvo, debili; appetitum prorſus proſtratum habent, & perpetuis vigiliis excruciantur, præter proportionem æſtus, dolorum, aliarumque circumſtantiarum, Variolis legitimis ſolennium; cum vix calere, vix ſitire cernantur, ſed debiliſſimi vixque manum movere compotes, & ἀναίσθητοι jaceant; puſtulæ vero hæc inter vel tardius vel inſufficienter ejiciantur, mox iterum collabantur, ſubſideant, pallente tota corporis peripheria aut heterogeneis exanthematibus, maculis videlicet vel purpura vel petechiis, obſita: A qua retroceſſione diarrhoea tormino ſa cooritur, virium dejectionem in momenta augens, usque dum patientes vel totali virium conſumtione vel aliis ſymptomatibus exhauſti, ἀπὸ μηχανῆς ſupervenientibus phrenitidibus, anginis, aliisque inflammationibus, ſupremum diem obeant. Talis enim ſpecies taleque ſchema à Variolarum ipſarum *Malignitate* directe pendet, nullumque

que reſpectum habet ſive ad ætatem ſive ad temperamentum, ſive ad individualem cujusque conſtitutionem, & vel certæ conſtitutionis influxui, vel peculiari contagio adſcribenda eſt; unde noſtræ tractationis objectum haud exiſtit. Deſcripſimus hactenus Schema illud Variolarum adultis hominibus vel periculum vel plane exitium cauſari ſolitarum, ſperamusque hanc à nobis traditam deſcriptionem ad ſtateram praxeos clinicæ examinatam ingenuam legibusque veritatis amicæ conformem eſſe. Quod ſi jam principalis noſtræ quæſtionis memores hanc à nobis depictam earundem faciem paulo attentius intueamur, mox ſe nobis ſiſtunt ſymptomata, quæ Variolis per ſe minime eſſentialiter competunt. Sunt autem illa vel augmentum inſolitum Variolis eſſentialium ac pathognomonicarum circumſtantiarum vel plane nova & inconſueta progenies.

Ita occurrit quidem in Variolis alias æſtus, ſed multo intolerabilior, multo vehementior, multo diuturnior, cum majore ſiti, anguſtia, dolore capitis, cutis vel ſiccitate, vel profuſis ſudoribus comitatus, ſi natu grandem prehenderint. Neque deliriorum plane caſſæ ſunt Variolæ tenerioribus inſidias facientes, ſed manent illa deliria adhuc intra ſimplicium leviorumque mentis motionum cancellos, nec in phreneſin, ut in adultis, vel in ſoporoſos affectus transformantur. Stillant ſæpiſſime nares, idque largiter, pueris puellisque; cujus rei exempla habui biennio abhinc in duobus pueris, uno 7. altero 10. annorum, quorum ille 4. hic 7. Variolarum die intra dimidium horæ ſpatium ſanguinis floridi fere ℥x. profuderunt, ſine ulla inde ſequuta noxa. Sed ſunt hæ juvenibus obtingentes hæmorrhagiæ tum ob tempeſtivitatem, utpote ſub initium aut incrementum morbi utplurimum obtingentes, tum ob moderationem (nam rariſſime tam immoderatæ ſunt ut in ſupra memoratis caſibus) & quod plerumque ſponte ceſſent, melioris fidei & commendabiliores. Quod de profuſionibus adultiorum non valet, quæ vel nimis ſero accidunt, ſub vigore ſcil. & ἀκμῇ morbi, vel ſpiſſiore exiſtente ſanguine, per vias anguſtiores prorumpere nequeunt, hinc illo in tenerrimis locis ſtagnante acrique Variolarum materia imbuto, inflammationum, corruptionum auctores evadunt. Puſtulæ hic æque ac ſi regulariter res procedat emerguntur, ſed inſtabiles ſunt, titubant, ac retrocedunt, pallida, ſicca, ſqualida contracta evadente corporis ſuperficie, quæ rubicunda, uvida, humida, perſpirabilis, turgida eſſe deberet. Febris in

 Vario-

Variolis talibus non deest, sed plane alios mores, alium typum, alium ordinem ac periodum præ se fert. Apud teneriores enim plerumque 4. die cessat, &, si res bene procedat, per totum decursum vix leviter augetur: præterea ad continuæ simplicioris similitudinem accedit, dum communiter circa horas matutinas paulisper remittit, vesperi vero intenditur, juxta SYDENHAMII observationem loco super. citato. Unde vulgi expressio, der patient werde auf den Abend kråncker/ oder es veråndere sich so mit ihm. Hic vero jugiter & æqualiter perennat, quod vulgus exprimit, der patient lige in einer gleichen Hitze weg oder fort ꝛc. et nonnisi vel 7mo, vel post illum finitur: vel si intensiones & remissiones format, sunt tamen illæ minus statæ, sed vagæ, incertæ, instabiles. Udore seu levissimo madore in Variolis juniorum superficies corporis imbuitur: fit vero non raro ut provectioris ætatis ægrotantes ad diffusos sudores propendeant.

Ex quibus elucescere speramus plura hic visenda symptomata peregrina nulloque jure aut veritatis specie Variolis qua Variolis adscribi posse. (1.) enim (ut rem hanc recapitulatione dignissimam adhuc semel repetamus, & in suas quasi classes digeramus) toto *genere* alienus est Variolis TYPUS ille, seu modus motus continens, patienten scilicet non dimittens, seu nihil remittens, sed jugi gradu, æquali tenore pergens, aut, siquidem remissionem exhibere videatur, nullam tamen statam, ordinatam, æqualem, sed inconstantem, turbulentam formans. (2.) *Specie* aliena est directio illa motus sanguinis particularis, excretiones scilicet supra memoratæ vel *criticæ* vel *critico modo*, *critica mensura*, *critico tempore* evenientes, hæmorrhagicæ, inquam, vel sudatoriæ. (3.) Unde plane novus apparatus instrumentalis consurgit, in Variolis teneriorum plerumque inauditus, dum pro perpetranda hæmorrhagia critica sanguis ad caput congeritur, pro perficiendo sudore intensius localiter circumagitur. Pro quo utroque scopo, varii tum solidorum tum fluidorum motus necessarii sunt, qui plane aliud schema aliaque φαινόμενα sistunt, quam alias conspicere licet; Varias videlicet partium solidarum stricturas motusque Tonici directiones particulares, refrigeria, pallores, dolores; fluidarum vero vel particulares congestiones, compressiones, vel vehementes agitationes, duplicatis, quin triplicatis pulsus impulsibus peragendas; resolutiones, excretiones. &c. Qui apparatus tales critico tempo-

re,

re, criticaque menſura evenientes hæmorrhagias aut ſaltim molimina earundem præcurrens aut comitans, ſi paulo ſolertius conſideretur, verum quoque complexum omnium ſignorum criticorum aut criſin molientium exhibet. Equidem videbuntur aliquibus hæc nobis ſic dicta *molimina* & conamina *critica* minus veroſimilia, ſed præter illud, quod jam pluribus practicis, etiam ipſi HIPPOCRATI prænotion. §. VI. ſanguinem ad caput *repere* dicenti, & ſanguinis eruptiones expectare jubenti, (ut alia loca ubi eandem *expectationem* præcipit, breuitatis ergo omittam,) talia molimina perſpecta fuerint; ea nobis veroſimilia reddidere (1.) locus in quo ſuperius memorata ſymptomata cernuntur, caput nempe & confinia, (2.) tempus, quo ſe exſerunt, dies nempe 4. vel 7. (3.) complexus ſymptomatum generalis, (4.) relatio quam ad criſin ſeu ἔκκρισιν hæmorrhagicam habent manifeſta, cum, ſiquidem illius potita ſint, ceſſent, impedita vero peſſimis conſequentiis viamſternant; haud vero aliis, quam quæ alias criſes fruſtratas excipiunt. Unde (5.) conſectaria rerum harum infelicius cedentium ſuſpecta ſunt, phrenetica, anginodea, aut alia inflammatoria interna.

Circumſpicientibus autem nobis cui affectuum generi, præcipue è *Febrium* claſſe, hæ peregrinæ & à propria Variolarum indole alienæ circumſtantiæ ſimiles appareant, occurrit nobis *Febris ſanguinea, continens, ſynochos* antiquis dicta. Quid ſi hæc febris ſpecies cum Variolis forte *complicetur, conjungatur*, adeoque *compoſitum*, obque diverſos mores, typos, intentiones ſubcontrarium *ſchema* conſtituat, contrarii hujus & heterocliti eventus auctorem? Certus ſum quod plures me non ſtatim intellecturi ſint. Sed ſpero neminem practicorum compoſitionem & complicationem febrium diverſarum ſpecierum laturum eſſe. Equidem de morbis complicatis multus eſt in foro medico ſermo; paucus de febribus compoſitis; niſi quod veteres ſub nomine putridarum tum ſynochorum tum intermittentium, tum hecticarum tales agnoverint; pauciſſimus de acutarum complicationibus inter ſe ipſas, nempe contagioſarum, peſtilentialium, petechialium, varioloſarum, morbilloſarum, purpuratarum, miliarium, cum ſanguinea ſtricte ſic dicta, ſeu continente veterum, cum billioſis tam καυσώδεσι quam ἐρυσιπελατώδεσι, catarrhalibus, inflammatoriis & viciſſim. Nihilominus hæc, quamvis contra-

ria & pugnans mixtura in praxi frequenter occurrit, ſæpeque funeſti eventu cauſa eſt, quam in neſcio quibus ſpeculationibus quærimus. Et forets hæc materia digna, quæ à Viris practicis, ad hoc negotium idoneis, paulo ſolertius perveſtigetur ac obſervationibus liquidis illuſtretur. Talis enim mixtura, niſi me omnia fallunt, periculi aut calamitatis à Variolis vetuſtioribus expectandæ, fundamentum eſt, mixtura inquam & compoſitio ê duabus febribus, continente ac varioloſa. Equidem non negandum eſt, quod febris continens ſtricte ſic dicta, a pura puta quantitate ſanguinis nimia coorta, apud nos ſub craſſiore æthere natos, ac ſanguinem ſpiſſiorem habentes, minusque purum, rarior ſit quam apud Græcos, Italos; adeoque puro ſchemate rarius viſenda ac tractanda occurrat. Interim quod raro fit inter impoſſibilia referri non decet. Et exhibentur ſane medentibus febres ab initiis ſimpliciſſime plethoricis pullulantes, quæ niſi itidem per alius typi, qualitati ſanguinis potius ſpiſſiori, quam ſexcentis iſtis ſaporibus reſpondentis, miſcelam deturparentur, etiam ſimplicius ſchema continens præ ſe ferrent. Ita ipſemet aliquos tractandos habui tales & inter illos Centurionem, qui febrem talem à crapula & continuatis ſeram in noctem compotationibus vinique aduſti largiſſimis ingurgitationibus incurrit a primo die ad 4. jugiter æquali vehementia affligentem, nihilque prorſus remittentem, niſi die nominato, quo hæmorrhagia narium largiſſima ſolvebatur. Non poteram non hanc febrem ad continentem referre, præcipue cum BAGLIVUM L. II. Prax. Med. Cap. XII. §. II. parem typum ſub eadem claſſe collocare viderim. Scio quod aliqui ephemeram plurium dierum velint, ſed ſcio etiam hanc ephemeram extenſam aliam præter ſynochon haud eſſe. Hoc vero menſe, quo hæc exarare ſuſcipio, curavi adoleſcentulum 15. annorum, qui perfecta tali febre ſanguinea laboravit, ipſo 7. die hæmorrhagia narium largiſſima, parentibusque terribiliore viſa ac mihi, ſoluta; ad ſtuporem ſimul ac ſanguis effluxit, ceſſantibus delirio, æſtu, ſiti, cæterisque ſymptomatibus. Etſi vero ſanguinea ſeu continens febris ſub proprio habitu rarius deprehendatur, quid vetat quo minus ſub aliarum febrium larva & comitatu, compoſitoque tantisper typo incedat. Sane ego omnes febres continuas ἀλόγως & præter morem alias conſuetum æſtuantes, hac mixtura depravatas eſſe, perſuaſiſſimus ſum, vel hac ſola ratione inductus,

quod

quod tum in malignis tum in intermittentibus plethorici & sanguine fortiorem diuturnioremque æstum pati necesse habeant quam aliorum temperamentorum creaturæ. Est autem exquisitioris SANGUINEÆ febris à simplici sanguinis abundantia aut turgefactorio orgasmo coortæ tale schema. Incipit cum magno calore, pulsu celeri, frequenti, magno, pleno, urina rubra, flammea, cruda, nullum secretionis indicium præbente, cephalalgia gravativa, tensiva, inflativa, pulsatili, faciei rubedine, vasorum in temporibus excurrentium inflatione, inquietudine, cutis siccitate, squalore: die 4. aut potius 7. erumpente hæmorrhagia larga aut sudore finitur; aut, siquidem funestius cedat, fit μετάστασις vel μεταπίπτωσις in phrenitidem, anginam, anxietates graves, hæmorrhagias excessivas, funestas, vel nonnisi summo labore cohibendas, &, licet ægri convalescant, cachectica tamen, hydropica, hectica, ad minimum hypochondriaca, consectaria relinquentes: interdum etiam degenerat in inflammationes internas, quocum eventu quivis facile dispiciet. Causa materialis hujus febris est sanguis abundans per quamcunque occasionem externam fortius commotus ac turgefactus, in subjectis floridis, vegetis, sanguineis. Hunc NATURA, morborum medicatrix, expellere & evacuare suscipit vel simplicius & immediate per sinceram emissionem, nempe hæmorrhagiam narium, idque in jubjectis trigesimum annum non supergressis, vel mediate, resolutum in serum atque per sudorem criticum, die critico, nempe 7. dissflatum. Hæmorrhagiæ, uti cuivis pathologiæ gnaro perspectum erit, sine partium restrictionibus & specialissimis directionibus fieri nequeunt. Contrahuntur igitur omnes inferiores partes solidæ, quo minus sanguinis in illas admittatur, tanto plus vero ad caput redundet, hydraulico mechanismo; continuataque pressione è narium venis exprimitur: prout hanc hæmorrhagiarum ætiologiam pluribus deduxit Excell. D. D. STAHL Theor. Med. sect. 1. Membr. I. Testes talis partium constrictionis sunt (1.) siccitas peripheriæ corporis, nonnisi contractioni fibrarum musculosarum & coarctationi pororum cutis excretoriorum adscribenda; (2.) frigus extremorum à pari repressione sanguinis ad interiora dependens; (3.) Urinæ tenuitas, à sola constrictione subtilissimorum in renibus pororum colatoriorum proficiscens; (4.) alvi adstrictio, à fortissima illa contentione & directione motus solidorum Tonici ad superiora proveniens; (5.) hypochon-

pochondriorum dolor, pari causæ attribuendus; (6.) rubor faciei, oculorum, dolor capitis cum aliis symptomatibus, sublati æquilibrii motus Tonici solidorum & progressivi fluidorum indicibus. Sudoris vero materia uti nulla est alia quam serum excrementitium in quod sanguis laudabilis continuata circulatione tandem satiscit, dissilientibus per tot collisiones motus intestini atque attritus ad rigidas fibrarum parietes, sub transpressione perpetua per partes, principiis illius constitutivis; ita propellitur etiam vehementius per partes solidas, ut attenuatus in serum tale excrementitium resolvatur.

Quod si jam nimii & abundantis sanguinis portio aliqua breviore temporis spatio in tale serum resolvenda sit, intensioribus & duplicatis, imo triplicatis pulsus impulsibus vividioreque sanguinis circumpressione opus erit, ad mixtionem ejus disturbandam. Contingit vero utrumque in hac febris specie. Contrahuntur videlicet non solum solida ac fortius moventur, sed etiam fluida celerius circumpelluntur, imo ad specialia emunctoria diriguntur: Sanguis nempe purus ad nares, resolutus vero in serum ad ambitum corporis, ut ibidem sub sudoris forma simul semelque emittatur, tempore ac die stato prorsus & determinato. Posset hæc res pluribus deduci sed præsens opellæ ratio prolixitatem haud permittit.

VARIOLARUM contra, per se spectatarum, plane diversa, imo opposita ratio est, quod ex illarum expositione pathologica elucescet. Adest in illis materia, seu in corpore subnata seu per contagium in illud immissa, tenuis, halitus forma communicari, per nullum vero aliud corporis emunctorium quam per peripheriam tuto ac secure eliminari apta; præterea fermentativa seu similem corruptelæ speciem, similemque subtilissimi motus putrefactorio-dissolutorii gradum sanguinis principiis affricare idonea, proinde sui multiplicativa & in corpore non toleranda. Hanc NATURA, *ἐ μαθȣ̃σα τὰ δέοντα ποιȣ̃σα*, e corpore ejicit ac exterminat, temporis mensura stata ac proportionata & per vias convenientissimas, superficiem scilicet corporis, tanquam portam amplissime patentem talemque locum, in quo a visceribus internis nobilissimis remota sensim sensimque vel prorsus avolet, vel saltem speciali ope inflammatorio-suppuratoria ita alteretur ac immutetur, ne corpori præsentaneum amplius periculum afferre possit.

Et

Concurrere jam cum hisce Variolis apud adultiores febrem continentem verosimillimum reddunt (1.) paritas *subjectorum*, cum nonnisi sanguinei aut de sanguineo temperamento participantes, præterea vel notabiliter vel occulto plethorici tam periculosas patiantur manes: (2.) Exquisita *typi* convenientia tum (α) quoad periodum, durationem, aliaque accidentia, tum præcipue (β) quoad excretionem, in qua naturam febris ponere audemus. Tantum enim abest ut febris talis vel desinat post Variolarum eruptionem vel remittat, ut potius jugi gradu perennet, suumque decursum ad 11. vel 14. usque absolvat. Quæ perpetuantis typi indoles certe à nulla alia nisi admixtæ febris synochæ ratione derivari potest. Præterea (3.) tendunt omnes in talismodi Variolis motus & tentamina ad excretiones sive sudorificas sive hæmorrhagicas, quod ex convenientia symptomatum, tum præcedentium, tum concomitantium, tum subsequentium patescit. Uti enim in hæmorrhagiis criticis familiares sunt κατα͵ψύξιες inferiorum, hypochondria dolent, alvus obstipatur, cutis densatur, sudor imminuitur cum ipsa insensibili transpiratione, urina pallida fit, aquea, decolor, vasa per aut subter cutem excurrentia, alias maxime conspicua, evanescunt, facies contra inflatur, venæ in temporibus & oculis distenduntur, arteriæ pulsant, caput dolet, pressio circa radicem narium sentitur, mens turbatur, delirat, aures obsurdescunt, oculi caligant ac splendentia cernunt hincque inde vagantia objecta: ita etiam in talibus Variolis idem schema hæmorrhagicum criticum vel intentatum vel plane etiam perfectum occurrit, dum sanguis interdum tanto impetu prosilire cernitur, ut vel plane non vel vix cohiberi possit. Omnia vero talis hæmorrhagiæ indicia ac molimina per totum Variolarum talium decursum præludentia inveniuntur; prout ex supra exposita historia practica dispalescet. Et quemadmodum ad sudorem efficiendum sanguis adhuc purus in serum resolvi, hoc vero ut obtineatur maxima circulationis intensione, pulsu celeri frequentique perficienda, circumagi necesse habet: ita in Variolis hujusmodi pulsus etiam præter consuetum morem maxime intensus, magnus ac plenus existit, sanguis rapidior movetur, excretio cutanea tranquilla vel prorsus differtur maximo cum periculo, vel sudor copiosus, colliquativus concitatur, transpirationi insensibili ac per ipsam perpetrandæ secretioni variolosæ, secundum SANCTORII & LISTERI, *de*

Medicina ſtatica cum commentariis, prudentiſſima monita graviſſimum obvertens impedimentum. Ut phrenitides, anginas, pleuritides aliasque internas inflammationes taceam, huic compoſito ſchemati male exeunti veſtigia legentes.

Quodſi jam utroſque affectus inter ſe comparemus, mirum eſt quanta contrarietas inter illos inveniatur. Habent enim (1.) valde differentia *ſubjecta*; *continens* videlicet purum ſanguinem, *variolæ* vero materiam fermentativam, *νοσηρὴν*, in ſanguine contentam, & per totam ejus maſſam diſperſam; illa craſſum corpus, hæc tenuiſſimum & per ſe halituoſum, ad cutim vero propulſum, ibique obhæreſcens, nonniſi ſpeciali *mechanica* ratione, ope inflammationis & cum aliis innocentibus materiis commixtionis, in puris craſſioris formam & ſchema deducendum. Maxime vero (2.) contraria eſt utrorumque *forma*: *continens* enim ſanguinem ad interiora conſtringit, & ad unum ſpecialiſſime locum congerit; cum in *Variolis* liber eſſe debeat ſanguinis ad & per omnes corporis partes progreſſus, liberrimus vero ad ſuperficiem corporis, teſte rubore interſtitiorum inter Variolas conſpicuorum, boni vel mali exitus abſoluto indice. Hæ igitur contrariæ ſanguinis tendentiæ, in *continente* ad interiora in *Variolis* ab interioribus ad exteriora quid aliud quam fatalem antipraxiam parturire debent, ſi in uno eodemque ſubjecto concurrant. Præpeditur hoc modo materia varioloſa in ſui ſecretione & excretione, imo quomodocunque ſequeſtrata ad interiora retropellitur, cum ſanguine nobiliſſima viſcera alluit, inibique inflammationes ac ſiderationes parit, mortis ſequuturæ fideles prodromos. (3.) Et cum ad bonum variolarum exitum abſolute requiratur, ut quamvis non præmature, tempeſtive tamen & ad minimum die 4. ejiciantur, ſi per febris continentis complicatæ rationem ſecretio demum remotiore, critico, præſtanda, adeoque materia varioloſa ſi non omnis, plurima tamen, intus in ſanguine retinenda ſit, quid aliud quam concitata hoc modo corruptio tum humorum tum partium expectanda venit? Et hanc quidem diverſam temporis menſuram, utrique huic diverſo febrium typo ſolennem, in cauſa eſſe crediderim, quod Variolæ apud adultos plethoricos vel difficulter exeant, vel iterum relabantur & ſe intra corporis latebras recipiant. (4.) Accedit quod Secretio materiæ Varioloſæ, ſiquidem felicius cedere debet, lenis

lenis eſſe debeat leniſſimaque circulationis ſanguinis intenſione peragenda ſit, ſicut hoc Dom. HAMILTONUS paſſim in erudito opere *de Febre miliari* monuit. Quemadmodum vero turbulentiores *continentis* mores & rapidior ſanguinis circulus hanc ſecretionis Varioloſæ tranquillitatem multis modis pervertunt: Ita non mirum eſt, ſi infida hinc evacuatio, inſtabilis & inconſtans eveniat. (5.) Criſis in *continente* ſimul & ſemel intenditur vel quarto vel potiſſimum 7. die, & quidem magna vel ſanguinis vel ſudoris profuſione. Etenim, juxta practicorum regulam, nihil paucum criticum, & tum στάξιες ſanguinis tum ἐφιδρώσιες nonniſi exitium portendunt. *Variolæ* ê contra non confertim, aſt ſucceſſivè à die nempe quarto ad ſeptimum emoveri amant, & plerumque periculoſæ ſunt, ſicubi ſimul & ſemel protrudantur. (6.) *Continens* ſudore judicatur, *Variolis* vero tantum abeſt ut ſudor conducat, ut potius noxius ſit & peſſimorum eventuum ferax; (α) enim ſudore ſerum, ad peripheriam leni tranſpiratione propulſum, tumoremque, feliciſſimi exitus criterium, producens, evacuatur, ſicque ambitus corporis ſubſidere, variolæ vero collabi coguntur; (β) ablatis ſeroſis, aqueis, diluentibus portionibus ſanguis inſpiſſatur, in progreſſivo ſuo motu impeditur, ſtaſibus proin, incarcerationibus, ac inflammationibus aptus redditur.

Quod ſi nunc duæ hæ febres, diverſi, quin oppoſiti, typi in uno eodemque morbo *complicentur*, quarum altera ſanguinem ſimpliciorem imminuere & vel per hæmorrhagiam narium, vel attenuatum inque ſerum diſſolutum evacuare, altera vero eundem ab heterogeneis fermentativis particulis depurare intendit; & ut ſcopum ſuum attingant, illa craſſiſſimos motus vel congeſtorios Tonicos, vel pulſorios, fortes, præcipites, ſimultaneos; hæc vero lenes, ſucceſſivos, ſecretorios, excretorios adhibet; illa ab extra introrſum, hæc ab intra extrorſum tendit, quid aliud quam maxima motuum anomalia & fatalis antiperiſtaſis concitari poteſt.

Eſt proinde fundamentum majoris periculi quod adultioribus à *Variolis* impendet, COMPLICATIO & CONJUNCTIO *contrariarum febris ſpecierum*, *Varioloſæ* ſcilicet, per ſe ſibique relictæ, lenioris, & *continentis*, impetuoſioris, vividioris ac turbulentioris; quarum illa *materiam* ſeu *ſubjectum* ſuum (α) per corporis ſuperficiem, (β) mature, (γ)

leniter emovere ſatagit; hæc vero (α.) per narium hæmorrhagias, immediate è ſyſtemate vaſorum perficiendas, vel per ſudorem, (β.) ſero, dieque critico, (γ.) impetuoſe, ſortiter, ſimultaneo excernere laborat.

Mediata vero talis periculi cauſa PLETHORA exiſtit; cujus exiſtentiam præter totius antiquitatis conſenſum, plurimi recentiorum, quantumvis etiam corpuſculari Philoſophiæ addictorum, præter hos vero Exc. D. STAHL. *Theor. Medic.* Path. pag. 55. &c. tam Solidis argumentis ſtabiliverunt, ut nos hoc labore ſecuri ſuperſedere poſſimus. Propior tamen ac *ſpecialior* in ordine cauſa eſt hujus *commotio*, cauſis externis vitæque regimini adultorum adſcribenda.

Cæterum nemini mirum eſſe debet, quod *Malignitatis* talium *Variolarum*, quam hodie omnes in ore habent, nullam fecerimus mentionem. Admittimus eam ſiquidem de MOTIBUS anomalis, quibus *materia* varioloſa tractatur intelligatur. Tali enim modo tantum abeſt ut *materia Variolarum* putrefactiva, mixtionique animali interitum minans coerceatur, ut potius ab ipſa NATURA erronee hic agente, ſuique minus compote, in latiſundium humorum retropellatur, ſicque diffuſæ ac præcipiti corruptioni ſomitem ſubminiſtret. *Materiæ* vero differentiam inſignem, & non potius gradualem aut peculiari certæ conſtitutionis influxui adſcribendam, quam ab ipſa illius natura pendentem, deprehendere nequimus. Quamvis negare nolimus, apud adultos per varias occaſiones externas, præcipue vero per aſſumta acria, acida, bilioſa, ipſi huic in ſanguine deliteſcenti veneno ſomitem quendam ſuppeditari, qui tum exaſperandis tum pervertendis variolis inſerviat; potiſſimumque *alterius* illius *ſchematis*, ſupra à nobis delineati, ſons & origo exiſtat. Bilioſam intelligimus aut qualemcunque ſaburram, in primis viis coacervatam, vomitibus, diarrhoeis occaſionem præbentem. Quæ quidem ſymptomata peculiari *complicationi bilioſarum febrium*, *lipyriarum* aut aliarum *inflammatoriarum* attribuenda eſſe, nullus dubito. *Tertii* vero ſchematis ſupra ſub hiſtoria Variolarum diagnoſtica memorati cauſa utique eſt *malignitas materiæ*, tanta nempe ipſius tenuitas, quæ omnes poros ſecretorios ſubterfugit, aut ſecreta in ſanguinem iterum remeat: proinde *vix* aut *difficulter coercibilis* eſt: in ſanguine vero ſic relicta graviſſimas præcipites corruptiones, fermentationes putredinoſas, & totius mixtionis animalis repentinas diſſolutiones

tiones

tiones concitat: *Motuum* vero vitalium ſecretoriorum & excretoriorum, ſicut in omnibus ſebribus ita etiam in Varioloſis, licet extraordinario, utiliter tamen & proportionate intenſorum, anomalias, confuſiones, & ipſius principii moventis magis patheticas, h. e. terrificas, trepidabundas, tergiverſantes, aut impetuoſas, eluctatorias, furibundas alterationes, pro animi variantibus moribus ac conſtitutionibus efficit, &c.

Si vero, uti hactenus latius expoſuimus, *plethora* apud adultos unicus fons eſt, e quo omnia periculoſa in Variolis, ſiquidem ipſis obtingunt, ſymptomata profluere arbitramur, quæri poſſit cur hæc peſſima conditio natu minoribus non æque perincioſa ſit ac vetuſtioribus. Reſpondemus autem, quod quamvis infantibus ac pueris, præſertim παχητάτοις plethoram denegare non audeamus, hæc tamen apud illos ſimplex occurrat, non commota. Etenim probe tenendum eſt, quod, uti ad plurimos ſpaſticos ita etiam ad febriles motus diſponat *plethora*, non ſibi relicta, non tranquilla, non otioſa, ſed commota, turgefacta & in maximos orgaſmos conjecta. Talis teneriori ætati incognita eſt, utpote ſimpliciori victui vitæque generi adſtrictæ. Deinde etiamſi teneriores ſæpiſſime in Variolis hæmorrhagiis corripiantur: eveniunt tamen illæ in principio, præterea utplurimum moderate, & ſine reliquorum motuum ſecretoriorum præjudicio. Et quamvis etiam, quod in conſtitutione epidemica biennio abhinc hic locorum graſſante plus ſimplici vice vidimus, quamvis, inquam, narium hæmorrhagiæ 4. 7. 9. die, imo etiam interdum, nulla obſervata temporis menſura, intercalaribus obtingant, ſunt tamen illæ minus criticæ, ſed ab alia quam febrili cauſa proficiſcentes, aut ſiquidem *Typi continentis* cum *variolis complicati* productum fuerint, eſt hæc talis continens febris, lenior & ab omni violenta commotione aliena, qualem apud teneriorem ætatem tum ſub puro & ſimplici ſuo ſchemate, tum ſub compoſito ac cum aliis febribus complicato habitu dari cuilibet practicorum erit perſpectum.

Expoſita igitur ratione, ſecundum noſtrum conceptum veroſimillima, periculi à *Variolis adultis* imminentis, reliquum eſt ut media & auxilia quibus illud *declinari* poſſit breviſſimis indicemus. Et quidem cum *plethoram* pro ſolenni inſtrumento habeamus, quo regularis & tranquillus Variolarum decurſus pervertatur, nihil melius & convenientius

tius videri poſſit quam *venæſectio*, qua portio quædam ſanguinis ſuperflui emittatur, Naturæ intentioni ſatisfiat, eaque à pernicioſo propoſito ſanguinem imminuendi abſtrahatur. Sed ſi dicendum quod res eſt, aliam in pectore ſovemus ſententiam, & V. S. nobis multis nominibus haud arridet. (1.) enim certum eſt, quod, uti nulla ſebris maligna ita etiam Variolæ V. S. directe & ſive ex *materiæ* ſive ex *motus* ſui eſſentiali ratione non expoſcant; ſiquidem vero in aliquibus ſubjectis ea interdum requiri videatur, illud magis individuali diſpoſitioni v. g. plethoræ intenſiſſimo gradu conſpicuæ aut per graves cauſas externas turgefactæ, adſcribi mereatur, non autem ad totum horum morborum genus temere extendendum ſit. (2.) Deinde notæ ſunt in pure & exquiſite malignis contagioſisque circa V. S. adminiſtrationem trepidationes, unde vero natæ niſi ex praxi, quæ æquivocum V. S. in hujusmodi caſibus effectum plus vice ſimplici percepit; ſicut rem hanc pluribus deduxit Exc. STAHL *diſſert. de V. S. in acutis.* (3.) Tantum abeſt ut Naturæ ſatisfiat, quin in tenaci propoſito ſanguinem *critice* imminuendi per V. S. confirmetur & ad perficiendas evacuationes hæmorrhagicas quaſi manuducatur. Habeo ego hoc non ex una ſed repetitis, attentis, obſervationibus & diligentiſſima circa rem hanc conſideratione, quod in acutis tum primariis tum ſecundariis ſebribus poſt inſtitutam V. S. quantumvis largam, nihilominus poſtea hæmorrhagiæ vel molimina & ſymptomata hæmagogica cooriantur. (4.) Communiter ſuccedit in talismodi exanthematibus V. S. ioni conſtrictoria habitus corporis ſubſidentia, qua cohibitis poris tranſpiratoriis, materia corruptiva, quæ excerni debet, intra corpus detinetur, juxta prudentiſſimum monitum Exc. D. STAHLII *diſp. de V. S. in pede* Th. XXXV. Hinc accuſatio illa V. Sonis in acutis, quod à circumferentia ad centrum trahat, *mechanico-hydraulica* ratione, ſublati ſcil. æquilibrii inter impulſum fluidorum & preſſionem ſeu reſiſtentiam ſolidorum, haud deſtituitur.

Equidem videtur V. S. ſecundum noſtras deductiones ſi non utilis ad minimum tamen *innoxia* eſſe; ſed præter illa quæ modo oppoſuimus, (1.) *contraindicatur* à comite Febris *ſanguineæ*, nempe Variolis, quæ tantum abeſt ut ex propria ſua conſtitutione V. S. poſcant, ut potius illi quovis modo refragentur. (2.) in ipſis continentibus niſi in principio & ante ſigna coctionis adminiſtrata plerumque inutilis eſt; (3.) aliud eſt Sche-

ma continentis ſimplex, aliud vero *complicatum.* In illo V. S. non ſpernenda eſt, in hoc eundem uſum ac in priore haud præſtat. Interim, cum utique, ſi ultro citroque rem perpendimus, plethora maximum incommodum afferre ſoleat, præterea gradus plethoræ varient, unumque ſubjectum præ altero ſenſibilius ac evacuationum ſanguinis tum artificialium tum ſpontanearum magis conſuetum ſit, ſtatuimus nos firmam & infallibilem regulam abſolutè dari non poſſe, ubi ſincera ſanguinis miſſione directe & abſolute opus ſit vel ſecus, hocque totum negotium prudentiæ medicæ, uti hoc in paſſu circa individuales caſus verſanti ita etiam ſpecialiſſimis obſervationibus ac cautelis innitenti, relinquendum, illud tamen ſive V. S. inſtituatur ſive minus omni modo conſiderandum & memori mente tenendum eſſe, quod ſanguinis miſſio non æque propter Variolas per ſe ſpectatas, ſed propter plethoræ enormis concurſum, locum inveniat. Et quidem quod *plethoram eminentem*, evidentem & *exceſſivam* attinet, credimus nos eam in hoc caſu adminiſtrari poſſe, ſed majori menſura, nempe ad 6. vel 8. Uncias, imo plures, cavendo, noſtris in climatibus, repetitiones & ſubjungendo *regimen* magis *diaphoreticum*, præſentioraque *ſudorifera*, quam cautelam etiam celeberrimum Practicum *Uratislau.* D. D. HELWIG inculcare video Hiſtoria Morb. *Uratislau.* &c. Anno 1702. pag. 43.

Me quod concernit, ſtatuo V. Sonem *Methodo* ac *regimine temperatiore* optime COMPENSARI poſſe. Eſt autem methodus vera ac genuina artificialis illi directioni conformis, quam *Natura* in Variolis magis regularibus SPONTE obſervat, nempe DIAPNOICA, tranſpirationem leniſſime augens, qua non ſolum μίασμα varioloſum extruditur, ſed etiam ſociæ febris ad interiora tendentia & antiperiſtaſis efficacius præpeditur, ſtricturæque fibrarum externi habitus ſuſtolluntur. Hunc in finem ego quidem ſummo mane exhibeo Eſſentiam *Scordii* ſaturatam vel ſolam vel cum Eſſ. radic. *pimpinellæ* remixtam ad 30. vel 35. guttas, vel etiam Eſſentiam *alexipharmacam* STAHLII vel conſimilem, ad imitationem ejus, è *Scordio* & radicibus aliquod ſelectis *alexipharmacis* paratam, cui nos corticem Caſcarillæ ſeu *Chacarillæ* adjicere ſolemus. Eandem doſin repetimus, interdum hora 10. antemeridiana, plerumque vero 2. aut 3. pomeridiana; veſperi vero, & in noctem pulveres duos, ex *oculis cancrorum, matre perlarum*, C. C. *Philoſophico, conchis præparatis* aut conſimili *abſorbente,*

te, cum bono ♁. *diaphoretico*, & interdum pauxillo ♁. vel nativæ vel ♁. exhibemus, cum vehiculo aquarum diapnoicarum, *Scorzoneræ, plantaginis, tiliæ, acatiarum, ſambuci, galegæ, ſcordii, carduibenedicti:* abſtinendo ab aqua *fumariæ*, ſecundum prudens conſilium Excell. HOFFMANNI *Diſſ. de prax. clinic.* & compend. *Febrium*, & Excell. STAHLII. *Diſſert. de Variolis*. Sane ego plus quam ducentas menſuras in inſtructiſſimo pharmacopolio Onoldino, pharmaciæ cum ſtudio philoſophico operam navans, partim ipſe expetenti plebi vendidi, partim vendere vidi, adeoque illius effectum probe perſpexi, ſed non habeo, quæ in illius laudes afferre poſſim, quantumvis etiam à vulgo æſtimetur. Hic certe locorum tantum abeſt, ut in Variolis biennio abhinc epidemice graſſantibus, profuerit, ut potius multos puſillorum in mortem præcipites dederit. Loquor autem potiſſimum de illo *abuſu*, cum immodeſtius præberi ſolet. Etenim ſolenne eſt hic locorum, ut parvulis pro potu ordinario exhibeatur, quorum multos, etiamſi vix 4. aut 5. annum attigerint, intra nycthymerum plus XVI. ad XVIII. ℥. hauſiſſe vidi, ſed cum eventu pœnitendo. Unde virorum practicorum illam cum aliis temperatioribus remiſcentium Methodum improbare in animum non induco; quamvis pro mea parte aſſeverare queam, quod quantumvis non minimum Varioloſorum numerum hactenus tractandum habuerim, vix guttam ▽æ fumariæ adhibuerim. Ubi paulo fortior diapnoë requiritur, utor cortice *Chacarillæ*, quem à B. APINO, Fautore noſtro dum viveret integerrimo, edoctus in variis tum febrium tum etiam Variolarum Schematibus hactenus felici ſucceſſu adhibeo, & quidem in ſubſtantia ad grana vj. apud teneriores, vel ad. XII. XV. pro ætatis ratione cum abſorbentis cujusdam & ♁. *diaphoretici*, (quin boni *bezoardici mineralis*) ana gr. vj. vel viij. Talem pulverem ex ▽is diapnoicis, ſingulis quinis vel ſenis horis exhibeo; aut, ſiquidem pulveris moles alicui nimis diffuſa videatur, cum miſcela aquarum diapnoicarum & Syrupi cujusdam mixturam concinno, ad 3. cochlearia ſingulis 4. a. 5. horis præbendam. Apud delicatiores, præcipue puſillos, mihi *extractum Chacarillæ* in uſu eſt, ſub pilulari forma, l. mixturarum ex aquis diapnoicis & pulveribus diaphoreticis concinnatarum. Facio vero ut non ultra gr. viij. apud infantes, aut XV. vel ℈j. apud adultos intra nycthymerum conſumatur. Sicubi vero hoc extractum pulveri cuidam abſorbenti, diaphoretico, admiſcere animus eſt, 2.

ad

ad 3. granis pro dosi contentus sum, talemque pulverem singulis 5. aut 6. horis repetendum curo. Apud Sanguineos aut floridos homines *Emulsiones* ex seminibus expellentibus, aquilegiæ, napi, raparum, cum aquis diapnoicis paratas & absorbentibus fixisque ♁alibus imbutas usurpo. Apud phlegmaticos vero Volatilium ♀eorum, nempe Ess. Scordii, pimpinellæ, alexipharmacæ, usum duplico, triplico, hoc est, frequentius talia quam apud alius temperamenti subjecta ingero; singulis videlicet binis vel ternis horis; licet dosi, quo magis repetita, eo refractiori.

Interdum, cum id soporosi affectus exigunt, Liq. C. C. Succinati bene & ad præscriptum pharmaciæ Augustanæ noviss. edit. præparatum, addo; cæterum à volatilibus salinis aliisque calidioribus abhorrens; non ita a fixis acidis, præcipue vegetabilibus, citratis, imo ipso ⊕. parca manu sed repetito exhibito cum absorbentibus; sed rarius & nonnisi necessitate cogente, in æstu alias non compescibili. Quodsi variolæ jam eruperint, sed elevari morentur, imo plane retrocesserint, quamvis sub hoc ultimo rerum articulo parva spes in medicamentis supersit, *mixturam simplicem*, modeste camphoratam, vel solam usurpo vel aliis admisceo, v. g. ♁. diaphoretico, ♁inis, extracto chacarillæ, non æque terreis, quæ acidum ⊕licum, hic innocentissimum absorbent, sicque medicamentum hoc, alias satis efficax, destruunt: metus vero quod ♁. diaphoreticum par præstiturum, nempe acidum absorpturum, sit, me, chymiæ haud adeo rudem, non angit. Sunt etiam *vesicantia* in hoc casu non negligenda vel brachiis vel femoribus apposita, revulsionis gratia, & ad congestionem illam fatalem versus superiora præpediendam. Nec *frictionum*, præcipue in pedibus instituendarum, oblivisci licet, nec fomentationum calidarum plantarum pedis ad imitationem BAGLIVI Prax. Med. L. 1. Cap. IX. p. 63.

Efflorescentibus Variolis nihil magis in votis habeo quam ut illæ in debita magnitudine & elevatione conserventur, ac ad veram maturationem perveniant. Huic scopo sola dein absorbentia cum fixis ♁alibus applico, vel sub pulverum, ter aut quater per nycthymerum repetendorum, vel sub mixturæ cum ▽is diapnoicis prædictis compositæ, toties ac pulveres exhibendæ formula. Quibus pulveribus aut cui mixturæ, sicubi Variolæ deprimi videntur, myrrhæ rubræ, vel Essentiæ ejus pauxillum admisceo. Curam temperatis Essentiis bezoardicis, quas præprimis Ess. *pimpinellæ*

ingreditur, concludo, & ultimo, ægro convaleſcente & iterum orthoſtadio, purgante ☿ ali, ſeu quod ☿. *dulcis* ingreditur, obſigno. Cum hiſce vero omnibus REGIMEN, ſine quo felicem ſortiri effectum impoſſibile eſt, conſpirare debet. Hinc quidem ægros quantocyus lectis adſtringo, ſed in atmoſphæra temperata detineo. Etenim quantum detrimenti calida aëris temperies patientibus afferat SYDENHAM primus demonſtravit. Unde abeſſe jubeo ſtragulorum acervum, contentus ut patientes non majori tegminum munimento ſe ſubmittant, quam quod poſitivam refrigerationem excludit. Exulent igitur hypocauſta calidiſſima, quibus ægri ab imprudentibus mulierculis ita torquentur, ut in phalaridis equuleo majori torturæ vix ſubjici queant. Exulent etiam medicamenta calida, bezoardica, nimium camphorata, nimium myrrhata, volatilia ⁰₀⁰ ſa, empyrevmatica &c. inſignem ſanguinis expanſionem cauſari, inquietudinem, æſtum aliasque moleſtias augere, ſecretionem vero & excretionem tranſpiratoriam certiſſime impedire apta. Cum vero pro leniſſimo madore procurando nihil commodius ſit, quam potus calidi, Thée aut Caffée, poſſunt adulti horum vel ſimilium ex Radice ſcorzoneræ, Herba Scordii, veronicæ, Floribus aquilegiæ, ſemine aniſi Indici ſtellati &c. paratorum, quantum pote calidiſſimorum 2. ad 3. ſcutellas haurire, ac poſt hauſtus hoſce, quantum poſſibile eſt, corpus quietiſſime continere. Quam *tranquillam* corporis *continentiam* etiam per totum decurſum morbi ſevere inculco, certiſſimus, quod Variolæ etiam in adultis, ſub exquiſitiſſima tali continentia, vel ſine ullis vel ſaltem ſine multis medicamentis curari poſſint. Hæc methodus Variolas lenius tractandi accurate ſi obſervetur, atrociora ſymptomata caput rarius extollere ſolent. Sicubi vero vel ex conſtitutionis peculiari malignitate, vel individuali particulari diſpoſitione quædam illorum conſurgunt, illa ex alio fonte, nempe particulari & ſymptomatibus debito, oppugno. *Convulſiones*, quamvis ſub initium eruptionis rariores ſint, & egomet tales nonniſi in virgine 18. annorum hiſce epilepticis motibus aſſueta viderim, ſi tamen etiam apud adultum quempiam ferocire obſerventur, nullo medicamento felicius abigi poterunt, quam Liq. C. C. ſuccin. & ♁ inis largius porrectis. *Hæmorrhagias* interne ⦶oſis, parva quidem doſi, ſed repetito exhibitis, externe vel pulvere ſympathetico vel bufone axillis applicito, vel aliis notis partim medicamentis partim enchiriſibus cohibemus,

bemus. Ad *diarrhoeas*, præſertim à φλόγωσ, inteſtinorum pendentes, quantum ⦶. conferat ſciunt experti. Vulgo dicunt ⦶. alvum movere. Concedo hoc de certo uſu ⦶. de omni nego. ⦶. largius, nimis dilutum, & cum diluentium nimia copia ſuperingeſta obtruſum utique alvum ſtimulat, parcius vero ad 6. vel 7. grana, quantumvis repetito porrectum, cum terreis oſtracodermis remixtum, & quantum fieri poteſt minus dilutum exhibitum, tantum abeſt, ut alvum moveat, ut potius corrigendo materiam cauſticam bilioſam, diarrhoeæ auctorem, & abſtergendo parietes inflamatorum inteſtinorum, fluxum talem alui, non quidem ſupprimat craſſorum adſtringentium more, moderetur interim & intra optatiſſimos ſucceſſus, naturalis limites contineat. Qui vero ab uſu ſalis hujus abhorrent illi per me theriacalia in uſum vocare poſſunt, non obliviſcendo tum regiminis tum remediorum diaphoreticorum, juxta illud HIPPOCRATIS: Cutis denſitas, alvi laxitas & contra. Commendabilis mihi eſt *Theriaca* Andromachi cum ▽. cinamomi cydoniata, plantaginis, pulveribus diaphoreticis, & ex adſtringentibus mitiſſimo illo C. C. uſto, vel Radice Tormentillæ, exhibita; aut Eſſentia Theriacalis, item Extractum biſtortæ, Tormentillæ cum laudani cydoniat. Langelotti aut mp. de cynogloſſa momento remixtum. Adjungo hiſce vel extractum *chacarillæ* vel chacarillam in ſubſtantia. Quantum enim cortex hic in diarrhoeis & dyſenteriis tum idiopathicis tum ſympathicis valeat, nemo niſi expertus crediderit. Externe experimentum illud ab Excell. HOFFMANNO diſſ. de cita, ac compendioſa Febrium curatione, allegatum, *Theriaca* nempe *oleo* ♌. *menthæ* largius imbuta & umbilico impoſita in aliquot puerulis, propriaque mea puella, Variolis confluentibus biennio abhinc decumbente, haud infeliciter ceſſit. Fit interdum contra, ut alvus in Variolis reſtitet. Sed non timenda eſt hæc ſuppreſſio. Ego certe numeroſos habui Varioloſos, quibus alvus ad 5. 6. vel 8. imo ad 10. usque diem ſine ulla noxa ſuppreſſa fuit, & inter hos virginem vix nubilem 16. annorum, quæ licet ſub media lumbrici lati, cujus haud multo ante variolarum inſultum aliquot ulnas una vice excrevit, licet, inquam, ſub media hujus monſtri expulſione Variolis corriperetur, nihilominus ad 11. diem alvum habuit adſtrictam, nec à me, cum tranquillum prorſus eſſet abdomen, ſtimulatam, ſine ulla inde conſequuta noxa. Quodſi vero parentum aut adſtantium importunitate ad alvi relaxationem cogor,

ultra globulos moſchatos aut ſuppoſitoria nihil admitto; clyſteres vero ſtudioſe ſugio. Externe amo quoddam amuletum, ſed non fatuum, non ſuperſtitioſum. Eſt hoc CAMPHORA in parvulis ad ℥ß. in adultis ad ℥ij. antrorſum è collo ſuſpenſa, cujus experimenti, à duobus Hallenſibus Æſculapiis, HOFFMANNO & STAHLIO, hauſti, in numeroſis varioloſis, partim juſſu meo & conſilio, partim ad imitationem mei, factæ applicationis tantam deprehendi efficaciam, ut me uſus illius nunquam pœnituerit. (1.) enim præſervat oculos ab invaſione puſtularum aliisque accidentibus, idque phyſico - mechanica ratione, dum effluvia ejus e media corporis regione in ſuperiorem exhalantia, & præcipue oculos petentia, quod nictitatio eorundem teſtatur, omnem vaporum varioloſorum in tunica cornea vel conjunctiva adhæſionem impedit, vel quascunque ſorte fortuna collectas particulas efficaciſſime diſſipat, diſcutit, diſpellit; certe efficacius, quam vel ſapphirus vel radices morſus diaboli, vel aurum ipſum, cariſſimum licet metallum, quod cujuslibet experientiæ, tentamini, quin & rationi committo. (2.) nervina ſua virtute, quam odore teſte per totam corporis ſuperficiem ſpargit, ſicque peculiarem circa corpus atmosphæram conſtituit, obicem ponit fatali externi habitus corporis conſtrictioni, quin poros apertos ſervat, & tranſpirationem inſenſilem, qua potiſſimum puſtulæ felicius excluduntur, promovet; hinc (3.) inæquales partium ſolidarum contractiones præoccupat, & æquilibrium motus fibrarum Tonici conſervat, efficitque, ut, ſub concurrente internorum lenium & modeſtorum diapnoicorum uſu, particulares congeſtiones evitentur. (4.) Lenit dolorem ab inflammatione & ſuppuratione coortum, reſolvendo, diſcutiendo, majoremque, quam par eſt, affluxum cohibendo. (5.) Putredinem & faſtidioſum illum, tum ipſis ægris tum medentibus moleſtum, odorem Variolarum corrigit & emendat. Eſt autem illius efficacia tanto manifeſtior, quo ſenſibilior eſt patiens, unde natu minoribus vix non ſemper proficua exiſtit. Neque tamen apud adultos inefficax eſt, ſi vel majore doſi, nempe uti dictum ad ℥ij. appendatur, vel ſoluta in S.V. rectificatiſſimo adhibeatur. Talem S.V. rectificatiſſimum, camphora, quantum pote, impraegnatum, felici hactenus cum ſucceſſu, linteis lectorum adſpergere juſſi; nec metus eſt ab humiditate Variolis infenſa, modo non frigidiſſimus ſed prius calefactus inſpergatur. Etenim S.V. camphoratus ſi rectificatiſſimus fuerit in momento

ſic-

ſiccеſcit, avolante S. V. & relicta camphora, prout hoc cuilibet chymiæ non plane inexperto erit perſpectum. Fauces, ſi collum externe bene muniatur, vix vitium capiunt. Sicubi vero anginæ, prunellæ, aphtharum metus ſit, tum nota *mucilaginoſa* commendamus, tum Eſſentiam *pimpinellæ*, ter aut quater de die, imo pluries, ſine ullo vehiculo ad 18. 20. aut plures guttas deglutitam; quæ, licet acris ſit & ſub ipſo ſui uſu fauces paululum conſtringere vel potius irritare videatur, revera tamen, ſi hæc moleſtia tranſitoria ſpernatur, ad reſolvendas illic locorum coorientes ſtaſes inflammatorias aptiſſima exiſtit. Si quæ ſuperſunt ſymptomata ex proprio capite ut *ſymptomata* tractanda veniunt. Valet certe hic dicterium: principiis obſta. Ad foveas °°. ovorum expreſſum leviter camphoratum, adhibemus, &, ſub orthoſtadia ægri recuperata, ♄ ina. Pro potu ordinario admittimus decoctum C. C. raſi, corticum citri, cinamomi &c. nec emulſiones faſtidimus amygdalinas, modo ne largius hauriantur; admittimus etiam ſub alvi & abdominis tranquillitate interdum hydromel ſimplicius. Vinum vero & omnia Vinoſa, ut & cereviſiam ſevere prohibemul, nec non quamcunque animi conturbationem; quam etiam unam ex cauſis ſociis eſſe, cur Variolæ apud adultiores ſuſpectæ ſunt, neminem latere ſpero, qui maximam in pervertendis morborum typis & ſchematibus paſſionum animi vim & poteſtatem perpendet. Hæc methodus mihi familiaris eſt. Quæ vel ſimilis quod omne illud in præcedentibus expoſitum periculum ſecurius avertere valeat, ego quidem certo crediderim. Saltem nullam aliam quam *diapnoicam*, ſed temperatam, conjunctum typum ſanguineæ febris efficacius diſſipare, Variolas vero omni modo promovere poſſe, certum eſt. Unde pro concluſione hujus diſſertationis illud poriſma elicio: *Methodum periculum, quod adultis à Variolis imminet, avertendi, nullam aliam eſſe, quam illam quæ apud teneriores adhibetur, ſcilicet* DIAPNOICAM. Quantum hic illuſtris GUNDELSHEIMERI methodus Variolas repetitis vomitorio-laxativis tractandi, valeat, determinare nolo. Mihi certe experimentum illud in duobus aut tribus ſubjectis haud infeliciter ceſſit, ſed exinde nondum regulam & cynoſuram firmam elicere poſſim. Cæterum an Clariſſimi HOMBERGII ⊖. ⊕li narcoticum in tali infauſta febrium complicatione proficuum futurum ſit, nondum liquet. Commendat id auctor

Nobilis-

Nobilissimus dans *l' Histoire de l' Academie Royale Francoise des sciences* Anno 1702. *Memoires* p. 67. in talibus, quæ raptu ad caput (transport au Cerveau) comitatæ sunt. Jam cum pertinax in composito tali typo ad caput contingat sanguinis congestio, non inutilis videtur specifici talis administratio, sed merito tale ulteriori tentamini ac experientiæ relinquimus.

F I N I S.

